



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus XXVI. De Testamentis, Et Ultimis Voluntatibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

TITULUS XXVI.
DE TESTAMENTIS, ET ULTIMIS
VOLUNTATIBUS.

Postquam de dispositionibus inter vivos dictum est, sequitur, ut de testamentis, & alijs dispositionibus mortis causâ factis agatur, cujus rei causâ præmissum fuit de peculio Clericorum; si enim illud profectitium sit, id est, bonorum, quæ ab Ecclesia, seu ex Ecclesiastico titulo, vel intuitu Ecclesiæ proveniunt, beneficiarij testari, seu mortis causa de ijs disponere non possunt, ut infra apparebit, & habetur *in authent. licentiam C. de Episcopis*. Sin vero peculium sit quasi castrense, videlicet bonorum, quæ in Clericatu ex quacunque alia causâ, præterquam per Ecclesiam, uti explicatum fuit, acquisita sunt, de ijs liberè testari, ac disponere possunt, uti constat ex titulo præcedente, & *L. Sacrosanctæ. 32. & authent. Presbyteros. C. de Episcopis*. Sed & de adventitijs bonis, id est, quæ ante Clericatum non à patre, aut intuitu patris (hæc enim profectitia dicuntur, & ad patrem reverti debent *S. sancitum Inst. per quas personas &c.*) nec intuitu militiæ armatæ, aut togatæ (hæc enim Castrensia, vel quasi Castrensia censentur) sed aliunde, v. g. ex materna aut cognatorum successione, vel donatione acquiruntur, liberè testari potest & disponere.

CAPITVLVM I.

Quorundam.

PARAPHRASIS.

Intellexit Gregorius I. quòd Episcopus Atellanæ Ecclesiæ testamentum condidif-

set, in quo huiusmodi in octo uncijs hereditatis instituit, Ecclesiam vero hæc alij quatuor. Ideò scribit ad Antimum Subdiaconum, eumque hortatur, ut licitè inquiret, unde ejus bona provenierint, seu acquisita sint, nec præter qualibet persona quidpiam deinceps ante Episcopatum illud acquisivisse constiterit. Quidquid autem cognoverit Ecclesiæ fuisse ante ejus consecrationem, & quidquid in Episcopatu acquisivisset, in ejusdem Ecclesiæ dominio censetur. Habetur *lib. 7. registri in illa epistola 52.*

SUMMARIUM.

Acquisita ab Episcopo, titulo Episcopatus, inter bona profectitia Ecclesiæ merantur.

Notandum, Quæcumque Episcopus titulo Episcopatus, vel intuitu Ecclesiæ suæ acquisivit, ea Ecclesiæ tanquam profectitia bona reservata sunt, ut præcedente mortis causa disponere non possit. Censentur *c. 2. causa 12. q. 5. & quæ dicitur c. 1. tit. precedente.*

CAPITULUM II.

Quia.

PARAPHRASIS.

Gabina SS. Gravini, & Luxorij monachi Abbatissâ retulit ad Gregorium IX. quæ Syrica Abbatissa, quæ antecessit, condidit testamento Xenodochio, & alijs quibusdam legata reliquisset. De hac re, c. 1. tit. precedente.

rescivisset Pontifex, intellexit, Syricam vestem Monachalem nunquam induisse, sed usque ad mortem in vestibus, quibus loci ejus presbyteræ (id est sacerdotum conversæ uxores) utebantur, permansisse; id Gabina dicebat, penè ex consuetudine licuisse, quia etiam Abbatissa, quæ Syricam antecesserat, talibus vestibus usa fuerat. Causam istam Gregorius consiliarijs suis, & alijs viris doctis in urbe examinandam dedit, qui responderunt, quia Syrica solemniter ab Episcopo Caralitano ordinata fuit Abbatissa, atque in monasterij regimine per annos multos, usque ad vitæ finem stetit, quòd vestis qualitas Episcopi culpe imputari, non autem præjudicium monasterio, in quod ingressa, & Abbatissa constituta fuit, asserere debeat, cum itaque Xenodochium rerum illicitè legatarum possessionem retinere non debeat, hortatur proinde Papa Episcopum Caralitanum, in cujus civitate monasterium, & xenodochium sita erant, ut si ita res se habeat, quòd possessiones, non ex contractu, sed per modum legati, seu ultimæ voluntatis, ad xenodochium translatae sint, eas monasterio restitui, & alia omnia, quæ prætextu testamenti conditi detinentur (quippe quòd secundum legalem sanctionem irritum est) ad jus monasterij reduci omnimodè curet. Habetur *lib. 7. indictione secundâ epistolâ 7.*

SUMMARIUM.

1. *Habitus non facit Monachum, aut Monacham.*
2. *Religionem professi non possunt testamentum facere, aut mortis causa disponere.*

Notandum primum. Habitus non facit Monachum, aut Monacham, sed professio regularis. Ita *hic & in c. porrectum 13. de regularibus.* Sufficit etiam ad statum Religionis acquirendum professio tacita,

seu, quæ facta sit, *c. vidua 4. junctâ Gl. eodem tit. & sumitur ex hoc c.* quando ex eo solum, quia Syrica in Abbatissam se ordinari passa est, & per multos annos Prælationem gessit, professa censetur. Verùm jure novo *c. nullus 28. de electione in 6.* nullus Religiosus ad Abbatiam, seu Prælaturam eligi potest, nisi Ordinem eum fuerit expressè professus, quod etiam decernitur in *Trident. sess. 25. c. 11. de regularibus.* Vide in *disp. de Prælati questionem 183. Covar. hic, n. 2.*

Notandum secundum. Religionem professi non possunt testamentum condere, aut mortis causâ quidpiam disponere. Ita *hic & in Authent. ingressi C. de SS. Ecclesijs,* quia ob paupertatis votum proprium aliquid, seu rerum dominium nullum habent, *cit. authent. & c. non dicatis 11. causa 12. q. 1.*

CAPITULUM III.

Nos quidem.

PARAPHRASIS.

Intellexit Gregorius IX, quòd Stephanus, antequam moreretur, condito testamento, monasterium fundari jussisset, cujus ultimæ voluntatis executionem, cum Theodosia hæres differret, eapropter Papa hortatur Caralitanum Episcopum, ut faminam moneat, ad monasterium intra anni spatium inchoandum, & omnia juxta defuncti voluntatem sine tergiversatione exequenda. Quòd si verò intrâ hoc tempus, vel in loco, in quo jussit testator, vel, si non possit ibi, in alio loco, ubi visum fuerit, cum Episcopo monasterium ordinate intermitteret, tum Episcopus ædificet, & omnia loco illi sine diminutione assignari curet, quia secundum pijsimas Leges tali modo decet Episcopum dilatarum piarum ultimarum voluntatum executionem supplere.

Rr 2

Sum-

1. Ad heredem ordinariè pertinet munus exequendi testamentum, si nullum executores nominavit testator.
2. Devolvitur tamen hæc exequendi potestas ad Episcopum circa pia legata, si per annum moratus fuerit, & neglexerit executor.
3. Limitatur hæc doctrina.
4. Etsi non possit legatum purum applicari ad illum usum, ad quem testator determinavit, potest cum consensu Episcopi ad alium usum pium executor applicare.
4. Ita tamen, ut integrè, sineque diminutione, talia legata præsentur.
6. Quid censeri debeat ad piam causam legatum?

Notandum primum. Si nullus à testatore executor testamenti, aut ultimæ voluntatis nominatus est, munus exequendi pertinet ad heredem, etiam quod attinet ad legata pia, saltem regulariter loquendo, ut hic, & c. si heredes 6, hoc tit. Aliqua verò specialiter excipiuntur, quòd videlicet pro redemptione captivorum, aut pauperum alimonijs relicta sint. Horum executorio, si alius executor non est nominatus, ad loci Episcopum spectare debet. *L. nulli 28. C. de Episcopis. authent. de Ecclesiasticis titulis. S. si quis adificationem. collatione 6. & docui lib. 3. tra. 5. c. 11. n. 1.*

2. Notandum secundum. Si hæres, vel alius executor legata præsertim pia intra annum non exequatur, propter negligentiam potestas exequendi devolvitur ad Episcopum, ut hic, & cit. *S. si quis adificationem, & tradit Innoc. & Imola hic n. 8. Barbosa n. 3. Gl. in cit. c. si heredes. V. adimpleverint.* Necessarium verò est, monitionem antecedere, ad hoc, ut executio devolvatur ad Episcopum, uti *Imola, & Barbosa hic* tradunt, & colligitur ex *hoc c. & cit. authent. S. si quis autem pro redemptione. versiculo si autem, qui hoc.* Non ignoto *Abb. hic n. 11. Molin. tra. 2. disp.*

*251. n. 2. existimare, si executor legatum ad causam piam intra 6. menses exequi obligat, ad Episcopum devolvi facultatem. Id verò nullo jure probari potest, sed tunc, quòd executor, si tanto tempore obligat, pœnis subditus sit. Authent. de Ecclesiasticis titulis. S. si autem legatum. Limitari debet supra tradita doctrina, si testator ipse tempus determinavit, in quantum luntas executioni mandari debeat, citandum est. Numerari autem tempus debet à die aditæ hereditatis *L. 3. S. si per heredi. ff. de statu liberorum, & tract. Abb. hic n. 10. Covar. n. 2.* quia antea tantam hereditatem impeditur executori testamenti, sicuti docent *Gl. & DD. in L. per filio 38. S. servus ff. de hereditibus institutio dis.* Quare monet *Covar. n. 3.* quòd testamenti executor per judicem cogere possit heredem institutum, ut voluntatem acceptandi declararet. Verùm quòd ante ad legata pia, cum ea non pendente hereditatis aditione, statim post mortem testatoris, aut saltem insinuationem testamenti exigi possunt, teste *Sylvester. V. testamentum 2. q. 10.* consequenter & fructus ac pensiones à tempore mortis causa pcedere debent.*

Notandum tertium. Sirelictum à testatore ad certum pium usum, aut locum applicari non possit, debet ad alium usumve pium applicari arbitrio executorum & Episcopi, ut sumitur ex *hoc c. & docui lib. 3. tra. 5. c. 11. n. 10.* & tradit *Molin. tra. 2. disp. 249. n. 7.* nam præsertim intentio testatoris, quæ est honor Dei, & salus animæ, servatur. *argum. L. legum 10. ff. de usufructu legato.* ubi dicitur, quid civitati legatum sit ad ludos illius, ad alium ejus civitatis usum à primordibus, & heredibus applicandum esse; videlicet dicendum, si pecunia legata ad certum usum pium, v. g. Ecclesiam extruendam, non sufficiat, quòd possit applicari ad alium usum pium, uti docet *Bartholus in cit. legatum.*

Notat

Indicante.

PARAPHRASIS.

Gregorius IX. intellexit, quod uxor Redempti ante mortem concham argenteam, nudis verbis venundari mandaverit, & liberis suis tradi; scutellam quoque argenteam, monasterio reliquerit. In his voluntatem defuncti mandat, omnimodè impleri, ne ex rebus parvis neglectis, in majora peccata ruendi occasio præbeatur. *lib. 12. registri. epistola 30. ad Petrum Subdiaconum.*

SUMMARIUM.

Quis sit Capituli hujus intellectus, & quando nudis verbis legata relicta censeantur?


Intellectus Capituli ex eo pender, quidnam voluerit Pontifex significare, cum dixit, legata nudis verbis esse relicta. Covar. varias affert interpretationes. 1. Ea placet, ut dicamus, legata esse relicta nudè, & sine hæredis institutione. Hinc enim dubitatio oriebatur, num præstari deberent, quia legatum ab hæredis institutione, ac testamento dependet, ita ut cadente testamento etiam legata, tanquam accessoria, cadant. *L. ult. §. illud. C. de codicillis. L. sinemo §. ff. de testamentaria tutela.* Sed hoc non obstante, respondit Papa, legata ita nudè relicta deberi, idque non tantum, si ad causam piam sint; sed etiam si ad profanam, propterea quod defunctus censeatur velle de edere intestatus, atque hæredis ab intestato succedentis fidei committere, ut talia legata præstet. *Inst. de codicillis. §. non tantum.* Vide, quæ dixi *lib. 3. tra. 5. c. 8.* ubi etiam monui in fine, legata etiam nuncupativè, seu verbis nudis coram quinque testibus relinqui posse; quod si autem ipsius hæredis consentientis fidei committatur, ut legata præstet, testium solemnitas non requiritur. *L. ult. c. de fideicommissis,* quam *Gl. hic allegasse videtur.*

Rr 3

Ad-

Notandum quantum. Legata ad pias causas, integrè, & sine diminutione præstanda sunt. Ita sumitur ex hoc *c. v. sine diminutione.* Adde: si fundus, vel designata pecunia relicta sit, ut intra annum v. g. monasterium ædificetur, quod fructus, aut pensio pecuniæ elocatur, non hæredi, sed monasterio, vel alteri causæ piæ præstari debet. *argum. L. si ita relicta §. Pegasus. ff. de legatis secundo & notavit hic Abb. n. 7.* quia tempus non in favorem hæredis, sed in favorem causæ piæ relicta videtur; voluit enim testator hanc pecuniam, vel hunc fundum piæ causæ deputare, tempus autem adiecit ad carctandum hæredem, vel executores, ne diutius executionem, seu ædificationem operis differant.

Quæres quidnam censeri debeat relicta ad causam piam? Responderetur: quod principaliter ob cultum Dei & Animæ salutem. Quare non sufficit, personam, cui relinquatur, pauperem esse, nisi etiam intuitu pietatis, ac misericordiæ relinquatur, & non principaliter ob servitia, v. g. ancillæ. Differunt autem plurimum, priore, an posteriore modo relinquatur. Primò. Si sit relicta ad piam causam, non pender ab hæredis aditione, ut postea dicitur. Secundò. Si sit relicta ad piam causam, non opus est testium solemnitate *c. relatum II. hoc tit.* Terriò. Si Titius puellæ inopi pietatis intuitu dotem reliquit, eâ mortuâ, alteri puellæ nubili, & inopi applicari debet; sin autem puellæ favore personæ ob servitia v. g. reliquit, eâ mortuâ, legatum caducum fit, & hæredi manet. *L. Pater 38. ubi Bartolus in §. Tusculanus ff. de Legatis tertio. & docet hic in fine c. Covar. n. II. ubi ait, si testator dotis legatum conditionatum fecerit puellæ inopi, si nuperit, & ex circumstantijs appareat, pietatis causâ motum, eâ non nubente in similem usum esse applicandum; at verò in dubio præsumitur legatum ad causam piam favore religionis, ac pietatis.*



Addendum verò est, legata, quæ sunt ad pias causas, tametsi ab eo relicta sint, qui testamentum condere intendebat, nequaquam pendere à testamenti valore, ita, ut tametsi testamentum ab initio irritum, vel imperfectum, aut minus solemne existat, vel postea irritum fiat, quia hæres institutus mortuus est, vel hæreditatem repudiavit, aut quia hæredi necessario jure institutionis nihil relictum, aut quia ruptum testamentum, per posthumi scienter præteriti nativitatem, nihilominus consistant, & debeantur legata pia, prout ex communiore verâ, & in Romano Imperio recepta doctrina tradidi *cit. tra. 5. c. 2. n. 9.* & inter alios tradit *Molin. tra. 2. disp. 134. §. 181. Capella Tolosana in decisione 89. & decisione 335. Marcus Antonius Genuensis in practicalibus q. 757.* Ratio est, quia in relictis ad pias causas locum non habent solemnitates, aut subtilitates civilibus legibus introductæ, quandoquidem eæ in præjudicium Ecclesiæ, aut de causis Ecclesiasticis disponere nihil possunt. Quare in his relictis pijs secundum jus naturale, ac gentium, sequenda est voluntas testatoris, si ea justa esse possit, idque non tantum in terris Ecclesiæ, sed etiam in foro Cæsaris, ait *Clarus ex communi §. testamentum q. 6.*

CAPITULUM V.

Filius.

PARAPHRASIS.

Faustinus questus est Gregorio IX. quòd pater quadam sepulturæ suæ causâ, Cathedrali Messanæ Ecclesiæ mortuus reliquerit, quæ alieni juris, ac dominij sint. Tametsi verò notum esset, quòd de hac re leges sæculares decreverint, videlicet, quòd hæres rem alienam redimere & legatum solvere debeat; veruntamen quia Messanus Episcopus secundum legem Dei, non legem sæculi vivere debet, injustum videretur, ut eæ, quæ ad

aliam Ecclesiam pertinent, à dicto Episcopo teneantur, cum eum aliena restituere oporteat, *lib. 7. Epistola 4. ad Damasimum Messanum Episcopum.*

SUMMARIUM.

An de Jure Canonico res aliena legari possit?

Notandum. Quòd Jure Cæsareo licetum est, si testator rem alienam, sicut esse alienam, seu in ea jus nullum se habere legaverit, quòd hæres gravatus constituit, ut rem sibi comparet, & legatario tradat, vel si id facere non possit, estimationem daret, *§. non solum Inst. de legatis l. cum res in C. eodem & videre est apud Menochium lib. 4. præsumptione 116.* Hinc verò difficultas oritur circa sensum Capituli, non Gregorius improbaverit eam civilem constitutionem, vel saltem in foro Ecclesiæ, nisi ordine ad res Ecclesiasticas noluerit observari. Circa quam difficultatem varia sunt responsiones apud *Abb. Imolam & Car. hic, Genuensem in practicalibus q. 10.* Mihi placet responsio Innocentij, præmissis fuisse causas, cur Gregorius IX. dictas res alienas, quæ penes legatarium Episcopum erant, restituendas esse. Prima. Quia Dominus rei cogi non potest, ut rem suam vendat, & legatario juxta defuncti voluntatem tradi permittat. Altera; etiam ordinè loquendo validum sit legatum rei alienæ, modo, quo dictum est, excipiantur tamen, si eæ res legentur, quarum commercium habere non possumus, quia vendi nequeunt, ut sacræ ædes; vel quia non solum vendi, uti sunt forum Romanum, sed etiam Salustiani Cæsaris, *L. cum servus 20. ff. constat & §. si verò Salustiani ff. de legat. 1.* Talia autem erant ea, quæ hic legabantur, sepulturæ causâ.

Ob hæc itaque causas Pontifex examinare noluit, an & quatenus eæ Cæsareæ legari valere deberent, cum satis manifestum esset, saltem in isto casu, effectum habere

non posse, sed Episcopum injuriam inferre, atque contra Dei legem peccare, quando res alterius Ecclesie prætextu ejus legati denunciabatur.

CAPITULUM VI.

Si hæredes.

PARAPHRASIS.

Hæres jussu testatoris implere neglexerit, ab Episcopo loci interdicenda ipsi est omnis res illi relicta, unâ cum fructibus, & emolumentis, ut hac ratione vota defuncti impleantur.

SUMMARIUM.

- 1. Hæres voluntatem defuncti implere negligens, quam pœnam incurrat, post judicis admonitionem?
- 2. Ad quem talis hereditatis emolumenta postea pertineant?

Notandum primum. Si hæres voluntatem defuncti implere negligat, post judicis admonitionem, arcendus est ab hereditate, ita, ut nihil commodi ex rebus defuncti percipiat. Ita explicat *Barbosa hic* & sumitur ex *L. si patroni 55. §. sed sine ff. ad S. C. Trebellianum.* ubi, cur non videatur indignus, qui destruit supremas defuncti preces, ut consequatur aliquid ex voluntate? Expressius habetur in *authent. hoc amplius C. de fideicommissis* & in *authent. Ecclesiasticis titulis §. si quis autem pro redemptione &c. versiculi si autem, collatione 9.* ubi indicatur alteram admonitionem permitti debere.

Pro majore intellectu adverte primò. Hæres post aditam hereditatem, cum primum potest, & sine mora legata solvere, & alia jussa exequi debet, atque ad hoc à judice cogi potest. *L. cum res 47. & L. si domus 71. §. in pecunia ff. de legatis. 1.* Quòd si verò toto anno exequi negligat, pœnam privationis incurrit, uti videre est apud *Sylvest. v. testamentum 2. q. 6. Molin. tra. 2. disp. 251. n. 7. & habetur in cit. authent. tit. 13.*

Secundò. Pœna hæc privationis non tantum hæredi, sed etiam cuicumque executori jure decreta est, si jussa non adimplerant, dummodo de facto, & de jure possibilia sint, quia ratio legis: *si patroni.* generalis est. Et consentit *c. tua 17. & ibi DD. hinc tit. Covar. hic n. 4.*

Tertiò. Pœna privationis ipso jure incurritur, licet ad ejus executionem judicis declaratione, & condemnatione opus sit, teste *Covar. hic n. 8. & docui lib. 3. tra. 5. c. 11. n. 13.*

Notandum secundum. Judex Ecclesiasticus compellere potest hæredem, & executores alios, etiam Laicos, ad defuncti jussa & legata præstanda, præsertim si pia sint. juxta *authent. de Ecclesiasticis titulis cit. v. si autem & cit. c. tua.* ubi de hoc dicitur.

Quæres; si hæres, vel executor propter negligentiam privatus sit, ad quem executio, & emolumenta provenire debeant. Respondeo, & dico primò. Si testator ipsemet in casu negligentie disposuit, aut quempiam substituit, id servari debet, sicuti docet *Sylvest. loc. cit. q. 11.* ubi bene admonet, licet testator non possit imponere pœnam hæredi, vel executori, cum in eum jurisdictionem non habeat; posse tamen adimere ipsi sub nomine pœnæ, quæ eidem reliquit. Quare erit hæc pœna veluti conditionalis, quæ etiam in conscientia obligat, uti docui *lib. 3. tra. 4. c. 30. n. 6.*

Dico secundò. Si quidpiam ad piam causam dandum, vel exequendum sit, Episcopus succedit in executione. *authent. licet c. de Episcopis, & Clericis,* ubi etiam dicitur, quòd Episcopus vindicare possit commoda hæredi, vel executori relicta, quibus ob negligentiam privatus est.

Dico tertiò. In relictis ad causas profanas, cui executio & emolumenta deferri debeant, videri potest *authent. hoc amplius c. de fideicommissis, & tradit Imola hic n. 13.*

**

CAPITULUM

Cum in officijs.

PARAPHRASIS.

Etsi Charitatis officia ijs ante alios exhibere debeamus, à quibus beneficium accepimus, contrarium tamen agunt Clerici nonnulli, qui cum multa ab Ecclesijs beneficia acceperint, bona per eam acquisita in alios transferre præsumunt: quia verò id sacris Canonibus prohibitum est, ideò Alexander III. in Concilio Lateranensi c. 17. decernit, siue beneficiarij intestati decedant, siue testati, ut bona ea penes Ecclesiam maneant.

SUMMARIUM.

1. Illis, ceteris paribus, benefacere non oportet, qui in nos præ ceteris benefici fuerunt.
2. De bonis per Ecclesiam acquisitis testari non potest Clericus.

NOTandum primum. Ijs ante alios benefacere oportet, qui prius nos benefici affecerunt; id enim gratitudinis ratio postulat. Veruntamen hæc congruentia quadam est, non causa adæquata, & principalis, cur beneficiarij Ecclesiasticos redditus, qui ipsis supersunt, Ecclesiæ relinquere, si eos ad causas pias in vita non erogarunt, sicuti iterum dicitur c. sequente.

2. Notandum secundum. Clericus de bonis per Ecclesiam acquisitis testari, seu mortis causâ relinquere non potest, quia secundum Canonum statuta remanere debent penes Ecclesiam, siue beneficiarius decedat testatus, siue intestatus. Ita hic & in c. sequente c. quia 9. c. relatum 12. hoc tit.

CAPITULUM VIII.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Tametsi Clerici beneficiarij de rebus mobilibus, quas ab Ecclesia acquisiverunt,

testari de jure non possint; tamen in agitudine constituti, si sui composuerint, aliqua intuitu elemosinarum erogare, seu donare moderatè non prohibentur.

SUMMARIUM.

1. In mortis periculo potest ex redditibus Ecclesiasticis superfluis beneficium Clericus, moderatas donationes facere in causas pias.
2. Et ad multas lites cavendas, ut donationem taliter faciat, si qua de ipsa re vellet ad causas pias, suadet.

NOTandum. Clericus beneficiarius in mortis periculo ex redditibus Ecclesiasticis, qui ipsi supersunt, donationes moderatas in pauperes, vel alias causas pias facere potest. Ita hic & tradit Gl. Abbas, Cren. & alij in c. præcedente.

Quæres primò. Quare de hoc dubitatum sit, cum certum sit Prælati & alijs beneficiarijs concessum esse, hujusmodi erogationes in pauperes &c. aliasque causas pias facere, dum in vivis sunt. Resp. rationem dubitandi ortam fuisse ex regula 14. m. 6. cum quod unâ viâ prohibetur aliquid, id aliâ non debet admitti: Clerici autem morituri, quibus prohibitum est, mortis causa disponere ad causas pias, possent hoc ipsum in effectu agere per modum donationis, atque elemosinæ.

Veruntamen hoc non obstante, Pontificales donationes ratas esse ait: nam uti Doctores hic notarunt circa Gl. finalem, ea jura regula vera est, si res, seu effectus secundum se, & absolute prohibitus sit, non item, si prohibitus tantum respectu certis modi. Exempli causâ prohibitum est etiam pecunijs elocatis aliquid supra sortem seu capitale accipere per modum usuræ, seu etiam vi mutui, licet alio ex titulo accipi hoc ipsum nihil obstat. Ita verò se res habent in proposito, siquidem erogatio in pauperes ex superfluis redditibus beneficiario morituro non prohibetur secundum se, & propter se, atque absolute, sed cum ordine

tantum ad modum, ne fiat disponendo in tempus mortis, seu post mortem, in quo finita est administratio Clerici, seu jus disponendi ejus, *argum. L. cum qui 13. ff. de juris dictione.* ubi dicitur, quod iudex ordinarius non possit delegare, seu jubere alteri, ut iudicet eo die, in quo finitum erit officium illius. Ita annotavit *Imola hic. n. 5.* ubi ait, discrimen id esse inter dominum rei, & administratorem, quod ille dominium absolutum, & de rebus disponendi independentem habeat potestatem; at verò officium administrationis limitatum est, ac dependens, ut ultra vitam tempus effectum producere non possit.

Corollarium. Consilium & cautio est, si v. g. Abbas aut Rector Ecclesie intelligat, quod aliquis beneficiarius relinquere velit mortuus suae Ecclesie, ut suadeat illi facere donationem absolutam inter vivos, & rem donatam tradat; nam hoc casu non facile poterit donatio impugnari, dummodo instrumento authentico, vel duobus testibus firmata sit.

CAPITVLVM IX.

Quia.

PARAPHRASIS.

Tamen Clerici de his, quae ex paterna successione, vel cognationis iure, aut officio suo, vel donatione consanguineorum & amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, ad ipsos pervenerunt, liberè mortis causâ disponere possint, de ijs tamen, quae consideratione Ecclesiae perceperunt, nullum de iure facere possunt testamentum.

SUMMARIUM.

De quibus bonis Clerici testari possint.

Notandum. Clerici de bonis non profectiis ab Ecclesia, liberè disponere possunt, seu inter vivos, seu mortis causâ, non autem de ijs bonis, quae ex Ecclesiasticis titulis perceperunt, aut quae ipsis Ecclesiae in viam donata, aut relicta sunt.

Coroll. Cùm Clericis libera disponendi facultas data sit de ijs, quae industria acquisiverunt, valde probabilis est sententia multorum, quam etiam *Imola hic* tenet in *suo cap.* quae Clerico pro Missis v. g. celebrandis donantur, tanquam vitae stipendia; item beneficiales redditus, quatenus justum stipendium non excedunt, absoluto iure ad beneficiarium spectare, ut liberè disponere possit. Sicuti ex communi docui *lib. 4. tra. 2. c. 3. n. 2.* Veruntamen per consuetudinem, per quam jus constitui potest, in pluribus Ecclesijs contrarium introductum est, ut, tamen constet, bona, quae beneficiarius reliquit, non ex reddituum Ecclesiasticorum abundantia, sed per parsimoniam ejus, ac veluti industriam acquisita fuisse, haeredibus, seu ab intestato, seu ex testamento non permittantur, sed Ecclesiae applicentur.

CAPITVLVM X.

Cùm esses.

PARAPHRASIS.

Episcopus Hostiensis Alexandro III. proposuit consuetudinem vigere in diocesi sua, ut testamenta, nisi septem, aut quinque testium subscriptionem habeant, penitus rescindantur, sicuti lege Caesarea decretum est: ad hoc respondet Papa, quia id à divina Lege, & SS. Patrum institutis, & generali Ecclesiae consuetudine, alienum est, eò quod scriptum sit in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, se improbare consuetudinem illam, & decernere, ut testamenta, quae parochiani coram paroco suo, & tribus, vel duabus alijs idoneis personis per modum ultimae Voluntatis fecerint, firma permanent, sub anathematis comminatione prohibens, ne quisquam talia testamenta rescindere audeat.



SI

SUM-

1. Latè nonnunquam accipitur nomen testamenti, pro quavis mentis Testatione,
2. Ad valorem testamenti, quot testes requirantur in territorio temporali Romani Pontificis.

Notandum primum. Nomen Testamenti interdum latè accipitur pro quavis mentis testatione, quæ mortis causâ fit. Ita sumitur ex hoc *c.* siquidem de ultima Voluntate generatim legibus Cæsareis statutum est, ut vel 7. testes adhibeantur, si sit testamentum legale, & propriè dictum, in quo hæres institutus sit; vel quinque testes, si sit ultima dispositio, videlicet codicillus, aut mortis causâ donatio. Vide, quæ dixi *lib. 3. tra. 4. c. 12. n. 4. & tra. 5. c. 1. & 8.*

2. Notandum secundum. In locis temporali jurisdictioni Romani Pontificis subditis sufficit ad valorem testamenti, si duo testes unâ cum Parocho adhibiti sint. Hic est fermè communiter receptus hujus cap. intellectus, sicuti docui *cit. tra. 5. c. 2. infine.*

Pro majore intellectu adverte primò. Testes in testamento, seu ultima Voluntate requisiti esse de forma substantiali, & non tantùm probatorios, sicuti hic rectè docet *Covar. n. 8.* nam spectato jure naturali ac gentium ad actûs probationem sufficiunt duo testes: cum itaque præter eos etiam Parochus requiritur, signum est, præsentiam testium etiam in foro Ecclesiæ requiri ceu formam substantialem; adeò, ut si Testamentum coram duobus, aut tribus testibus sine parochi conditum sit, pro irritò haberi debeat, & si alioquin de defuncti Voluntate non dubitetur: secùs est, si quatuor testes adhibeantur, nam duo testes suppleant vices unius, quantumcunque maximæ sint auctoritatis, ait *Covar. hic n. 14.* & simile quid de duobus testibus vicem tabellionis suppleantibus dixi in materia de testibus.

Adverte secundò. Pontificem hic satis significare, quòd Clerici aliarum omnium

Ecclesiarum possint se conformare huic decreto, ita, ut eorum testamenta etiam in terris Imperij secundùm formam hinc statutam tuta censeri debeant. Sicuti docet *Cavar. v. testamentum. q. 57. n. 3.* Verummen in hac re attendi debet ad consuetudinem locorum, sicuti monuit *Molin. d. 133. n. 7. in 2. tra.* juxta quam receptum est, ut testamenta, & alia ultimæ voluntatis actiones à beneficiarijs factæ, ad causas fanas, secundùm jus Cæsareum regulari debeant, & ideo nisi septè aut quinque testes, aliasque solemnitates habeant, probari non possunt, eò quòd rectæ rationi contrarium non sit, si in causis his, suapte natura politicis, Clerici se conforment legibus secularibus locorum, in quibus ut in ceteris civibus versantur. Sicuti docui *lib. 1. tra. 6. 13.*

CAPITULUM XL Relatum.

PARAPHRASIS.

Quidam Judices, quando circa Testamentum, seu ultimas voluntates, in quibus Clericis relictum aliquid fuit, controversiæ motæ sunt, pro valore Testamentorum, seu ultimarum voluntatum probare non solebant, nisi septè aut quinque idonei testes adhibiti essent, id Alexander III. reprobans ait, cum eorum causa non secundùm leges, sed secundùm Canones tractari debeant, quoniam secundùm Scripturam faciam duo, vel tres idonei testes sufficiant, id iudiciale Ecclesiasticis esse sequendum, ut in ultimo Testamento, sive ultimis Voluntatibus plus non requiratur.

SUMMARIUM.

1. Ultima Voluntates ad pias causas sunt examinanda ad vigorem legum civilium, sed secundùm benignitatem Canonicam.

2. Possunt tamen beneficiati, si velint, ad pias causas testari, ex statuis synodalibus, juxta certum numerum testium.

Notandum. Testamenta, & alia ultimæ Voluntates, circa ea, quæ Ecclesijs, live in pias causas relicta sunt, à judicibus non secundum leges civiles, sed secundum sacros Canones examinari, & judicari debent. De hac re dixi lib 3. tra. 5. c. 2.

Hinc inferunt Doctores Bartolus in L. 1. n. 6. c. 55. Ecclesijs. Baldus in L. generali. c. eodem. Imola hic n. 9. Abbas n. 3. Covar. n. 4. & alij plerique, in Testamentis aliisque ultimis Voluntatibus, quæ sunt ad pias causas, nullam omninò juris civilis solemnitatem requiri, sed id solum, quod de jure naturali, & gentium exigitur, videlicet, ut de Voluntate testatoris constet, seu per duos testes, etiam si rogati non sint, nec masculi, demmodo alioquin idonei, & non suspecti, live per scripturam, aut subscriptionem testatoris, seu per confessionem hæredis &c. Sed nec opus esse ad valorem legatorum priorum, ut hæreditas adita sit, rectè ait hic Abb. n. 6. cum & hæc civilis juris solemnitas sit, quòd legata non debeantur, hæreditate non adita, aut nullo existente hærede.

Sumitur hæc doctrina ex isto cap. quando generatim dicitur, testamenta ad pias causas non secundum leges civiles judicanda esse: itaque sublata est omnis solemnitas, quam esse communem sententiam, in terris Imperij receptam, testatur Clarus v. Testamentum q. 6. n. 1. Etenim Testamenta & ultimæ Voluntates, quatenus ad piam causam tendunt, inter Ecclesiasticas causas numerantur, de quibus civilis magistratus decernere non potest, præsertim in præjudicium Ecclesiarum c. Ecclesia 10. de constitutionibus. At verò, quoad executionem, & compulsionem, si hæres executor, aut hæreditatis possessor Laicus sit, causam hanc esse mixti fori, ut tam Ecclesiasticus, quàm secularis iudex ad præstationem priorum

relictorum cogere possit, docet hic Imola n. 9. Abb. n. 3. Covar. n. 1.

Id moneo. Nihil obflare, quòd minùs per 2 synodale diœcesis statutum decernatur, ut beneficiarij etiam ad pias causas testari non possint, nisi cum tanto numero testium, vel obfignationibus &c. cum enim spectato jure communi ipsi omnis ex Ecclesiasticorum titulorum bonis acquisitis, etiam ad pias causas, testandi facultas adempta sit, ideò per tale statutum, quò libera per consuetudinem introducta testandi licentia restringitur, nihil contra Canones agi manifestum est.

CAPITULUM XII.

Causa.

PARAPHRASIS.

Cum in Lateranensi Concilio sub Alexandro III. suprà in c. cum in officijs hoc tit. statutum fuerit, ut bona per Ecclesiam acquisita, ad eandem per mortem Clericorum devolvantur, dubium ortum est, num id tantum de immobilibus, an etiam mobilibus intelligatur. Respondet Papa, de omnibus esse accipiendum. Porro nomine Ecclesiæ, ad quam bona devolvi debent, non Episcopus, nec successor morientis, ubi collegium Clericorum est, sed conventus, seu congregatio intelligitur, quæ rerum istarum distributionem, & curam habere debet: quando autem nullo existente Collegio, successor substituendus est, tunc bona relicta, sicuti & bona Ecclesiæ, is ipse in Dei timore dispensare debet: tamen verò bona mobilia, ab Ecclesia profectitia, morituri arbitrio transferri non possint in alios, tamen consuetudo non irrationabilis obtinuit, ut aliqua ex dictis bonis pauperibus, & locis religiosis, iisque, qui morituro servierant, seu consanguinei sint, seu alij, juxta merita eorundem conferantur. Cæterum quæ Clericus

Si 2 hære-

hereditate, artificio, aut doctrina acquisivit, ea arbitrio decedentis distribuuntur: quia verò aliqui sunt, in diversis Ecclesijs beneficia possidentes, eorum mortuorum bona profectitia inter easdem Ecclesias juxta proportionem reddituum, seu proventuum, debent dividi.

SUMMARIUM.

1. Inter Clericos beneficiatos alij administrationem habent, alij simplicem tantum præbendam.
2. Ad quem devolvantur bona profectitia Ecclesie, si beneficiarius administrationem habens moriatur.

Notandum primum. Quæ beneficiarij non tantum, qui administrationem habent, sed etiam, qui simplicem Canonicatum, intuitu Ecclesie, vel ex titulis Ecclesiasticis colligunt, ea Ecclesie remanere debent, sive sint immobilia, sive mobilia, & idè de ijs bonis liberè testari non possunt.

Notandum secundum. Inter beneficiarios alij sunt, qui administrationem, & curam Ecclesie, Capellæ, vel altaris habent; alij verò, qui administrationem nullam habent, quibus portio aliqua Capitularium bonorum præbetur. Hanc distinctionem sumptam ex hoc cap. videre potes in Gl. c. ult. v. reservari de officio ordinarij in 6.

Notandum tertium. Si Prælati, Rector, alijsve beneficiarius administrationem habens moriatur, bona ejus profectitia, spectato communi jure, devolvuntur ad successorem, non ut ijs ad libitum utatur, sed tanquam administrator fidelis, dispenset; si autem Canonicus, seu aliquis ex Collegio præbendarius, moriatur, bona ejus devolvuntur ad Capitulum, ut ea, vel distribuatur inter singulos, vel in communi massâ ad futuras necessitates servet. Ratio est, cum enim bona hæc ad Ecclesiam redeant, dari debent illi, qui bonorum Ecclesie administrationem, & curam habet;

talibus autem est Prælati, Rector &c. in Canonicatibus autè & Collegijs eorum non singuli Canonici, sed Capitulum administrationem, & curam bonorum communium habet.

Notandum quartum. Permissum est beneficiarijs, ut ex restantibus profectitijs bonis mobilibus moderatas elemosinas, & donationes remuneratorias ante mortem faciant. Idem habetur in c. ad hæc l. hoc m.

Notandum quintum. Si plarium Ecclesiarum beneficiarius sit, ejus mortui bonorum profectitia dividenda sunt inter Ecclesiam, vel successores in administratione, secundum proportionem, ita, ut si ab una Ecclesia duplo plus proventuum accipit, & hæc partes proveniant ex bonis relictis, & hæc pars tertia; præterquàm si constet, quod bona residua profecta sint ex una Ecclesia, verò proventus, quantumvis abundantius in ejus loci pauperes, Ecclesie fabricam, &c. à beneficiario infumpti sint. Vide l. de m. 11.

CAPITULUM XIII.

Cum tibi.

PARAPHRASIS.

Si quis decessurus voluntatem suam ultimam Titij amici sui dispositioni committat, non videtur decedere intestatus.

SUMMARIUM.

Qui decessurus alterius arbitrio dispositionem bonorum suorum committit, de jure Canonico ad pias causas referri videtur.

Notandum. Secundum jus Canonicum, si quis decessurus dispositionem bonorum alterius committat arbitrio, hæc bona sua omnia censetur ad pias causas referri, secundum alterius à se nominatam distributionem. Ita intelligit Abb. Covar. & alij, Bartolus in L. 1. de SS. Ecclesijs. Clarus v. testamentum. q. 1. n. 6. Ratio est, nam ultima Voluntas intelligi debet, ita, ut valeat potius, quam

pereat, *argum. L. Scævola 76. ff. ad S. C. Trebellianum*; dispositiones autem ultimæ, si in tertie personæ voluntatem, & arbitrium referantur, irritæ censentur, quoad civiles Leges *L. ita 32. ff. de hæredibus instituendis*. idem, ne omnino intercidat dispositio, explicari debet, quod defunctus voluerit in pias causas bona devolvi, secundum electionem, & arbitrium Titij: id enim fieri potest, cum hæ causæ civilium legum solemnitatibus subditæ non sint, & idem secundum istum intellectum voluntas testatoris consistat, sicuti dictum est in *c. cum estis*. Accedit, si alterius personæ arbitrio aliquid committatur, quod ea ita debeat arbitrari, sicuti quilibet vir prudens arbitraretur, sive quod optimum, & consultißimum videri debet *L. fideicommissa 11. §. quamquam ff. de legatis tertio*, optimum autem defuncto & prudentissimè factum erit, si Titius, cuius arbitrio dispositio bonorum commissa est, ea in pauperes, & alias causas pias pro salute animæ ejusdem defuncti distribuerit.

CAPITULUM XIV.

Officij.

PARAPHRASIS.

In hoc cap. Innocentius III. tria asserit; primum. Si testator portionem aliquam Episcopo legavit, hac conditione, ut is eâ contentus, portionem canonicam, sive quæ ipsi secundum Canones ex funeralibus, & similibus legatis deberetur, petere nolit, Episcopus autem portionem sibi tali pacto legatam acceptavit, tunc portionem canonicam petere non potest. Ratio dari debet, quia juri suo, ac favori quilibet renunciare potest. Alterum, si Episcopus portionem, quæ ipsi absolutè legata fuit, acceptavit, tunc portionem canonicam ex legatis, & funeralibus, nihilominus petere potest. Ratio est, quia hæc duo rectè simul consistunt, ut Episcopus portionem u-

nam accipiat ex voluntate testatoris; alteram verò ex constitutione Canonis, & à legatarijs Ecclesijs, consequenter dum unam portionem Episcopus accipit, alteri renunciare non censetur, cum renunciatio stricti juris sit, neque sine necessitate colligenda. Confirmari potest *ex L. unica §. primum verò sciendum. c. de rei uxoria actione*. Ubi dicitur, si maritus absolutè legaverit, quod censendus non sit, reliquisse animo compensandi dotem, quæ ipsi soluto matrimonio ex Lege restitui debet, præterquam si id testator exprimat. Tertium. Si testator plura reliquerit Ecclesijs tali verborum conceptione, juxta quam Episcopo portio canonica non debetur, constat autem id ipsum egisse in fraudem, tunc Episcopo portio canonica nihilominus danda est. Ita hoc membrum intelligit *Innoc. & habetur expressius in c. ult. hoc tit.*

CAPITULUM XV.

Requisisti.

PARAPHRASIS.

In hoc c. Innocentius III. asserit primò. Ex ijs, quæ pro salute animæ Ecclesijs, aut pijs locis legata, vel mortis causâ donata sunt (mortuaria vocari solent) Episcopus portionem, quæ est quarta, quibusdam in locis tertia pars, secundum Canones vindicare potest. Ita etiam habetur *in c. conquereute 16. de officio ordinarij*. Ratio est, quia Episcopus est caput Ecclesiæ sibi subditæ, & idem pars aliqua ad ipsum spectare debet ex ijs, quæ Ecclesiæ relinquuntur. Habet autem id locum non tantum, si Cathedrali Ecclesiæ relictum sit, sed etiam si inferioribus Ecclesijs, cum & earum ordinarius pastor sit *c. cum Episcopus 7. de officio ordinarij in 6.* Porro hæc quartam mortuorum, sicuti & decimarum quartam pluribus in locis

Si 3 aboli-

abolitam esse per consuetudinem, dixi in
*cir. c. conquente. & lib. 3. tra. 5. c. ultri
 n. 13. Videri potest Trident. sessio n. 25. c.
 13. de reformatione.* Secundò ait. Si
 quidpiam legatum, aut mortis causà re-
 lictum sit Episcopo (vel alteri Prælato,
 seu administrationem habenti) censeri
 debet legatum pium, ita ut intuitu Ec-
 clesiæ relictum fuerit, & ita portio ali-
 qua Ecclesiæ Cathedrali debeatur. Ex-
 cipitur, nisi conjecturæ sint in contra-
 rium, ut quia propinquus Episcopo, al-
 terique Prælato relinquit, tunc perso-
 næ, & non intuitu Ecclesiæ reliquisse
 censendus est. Quamvis & hæc præ-
 sumptio juris quidem sit, non tamen de
 jure, sed talis, ut per contrarias majores
 conjecturas superari possit, atque ostendi,
 quòd etiam propinquus, aut valde
 amicus Episcopo, vel Prælato, contem-
 platione Ecclesiæ, reliquerit, ut etiam
 sumitur *ex c. litteras 13. de præsumptio-
 nibus.* Porro, quæ hic dicuntur de re-
 lictis, aut donatis mortis causà, eadem
 pari ratione locum habent in donatione
 absoluta, seu inter vivos, uti *hic Abb.
 n. 24.* notavit. Tertio. Si quid Episcopo
 relictum, aut mortis causà donatum sit,
 nulla ejus portio debetur Ecclesijs infe-
 rioribus, seu non Cathedralibus, tametsi
 vice versa, si inferiori Ecclesiæ aliquid
 relictum sit, portio debeatur Episcopo.
 Quarto. Testator non potest Ecclesiæ ea
 conditione relinquere, ut Episcopus por-
 tionem Canonicam inde non accipiat.
 Ratio est, quia hæc portio, ex Legatis
 pijs, factis Ecclesiæ, Episcopo debetur
 per publici Canonis auctoritatem, juri
 autem publico hominis dispositio dero-
 gare non potest. *argu. L. jus publicum
 38. ff. de pactis, & notavit Imola hic n. 6.
 Abb. n. 22.* ubi eadem ratione ait, fun-
 datorem non posse statuere, ut electio,
 confirmatio, aut institutio ad altum per-
 tineat, quàm secundum Canones perti-
 nere debet. Veruntamen Episcopi ni-
 hil prohibet legari, aut donari, ita ut

ejus proprium sit, & ad Ecclesiam ipsam
 nihil pertineat, nam sicuti cuiilibet alio-
 ri relinqui potest, ita etiam personæ
 Episcopi. Adde *cum Gl. hic V. nec est*,
 quòd simili ratione Canonicis, seu ca-
 pitularibus omnibus seorsim, & perso-
 naliter relinqui possit, ita, ut Episcopus
 portionem non habeat, dummodo
 non fiat in fraudem; sin autem Can-
 nicis conjunctim, seu Capitulo re-
 quatur, tunc Ecclesiæ, seu corpori Ec-
 clesiæ relictum videri debet, ideoque
 Episcopus, propter unionem capitis cum
 corpore, portionem habebit. Ita *Imola
 hic n. 30.* & videri potest *Gl. in c. puer-
 fices. causa. 1. q. 3.* eaque simili ratio-
 ne dicitur in *L. 2. ff. de rebus alijs.*
 si quid civibus (conjunctim intelligi-
 non personaliter, & disjunctim) re-
 lictum sit, civitati, seu universitati
 censeri. Vide *Bartholum ibi dem.*
 hoc nostrum Capitulum explicant.
 Quintò, ait, si quidpiam beneficiarius
 mortis causà relinquatur, v. g. Canoni-
 co Titio, censetur esse certum persone
 non intuitu Ecclesiæ: quare Ecclesiæ,
 dum Canonicus vivit, nihil ex eo por-
 re potest, sed post mortem, si intestatus
 decedat, & consanguineos non habeat,
 in hoc, sicuti & in alijs bonis Ecclesiæ
 succedit *c. 1. de successione ab intestato
 ult. causa 12. q. 5.* Idè autem de ca-
 pularibus beneficiarijs, qui propria habere
 possunt, sermo hic est, nam, quæ Re-
 ligiosis donantur, aut causà mortis re-
 linquuntur, ea monasterio acquiruntur.
L. Deo nobis C. de Episcopis, & Clericis.

CAPITULVM XVI.

Raynutius.

SUMMARIUM.

1. De varijs modis instituendi, & substituendi.
2. Heres per fideicommissum gravatus, alteri

alteri hereditatem restituens, Trebellianicam detrahit.

3. *Heredi necessario debetur legitima ante omnia detrahenda, & nulla conditione gravanda.*

4. *Et probabiliter etiam Trebellianica.*

Pro intellectu Capituli hujus advertendum est primò. Verba, quibus per ultimam voluntatem quidpiam relinquitur, aliqua sunt directa, sive civilia, quia significat testator, velle se eum, cui relinquitur, directè, & immediatè, sine alterius intermedie personæ ministerio, capere, v. g. hæres meus esto Sempronius, vel instituo Sempronium. Aliqua verò sunt indirecta, seu obliqua, quia ijs significat testator, velle se eum, cui relinquit, capere per ministerium hæredis, alteriusve personæ intermedie, v. g. mando, jubeo, rogo heredem meum, legatarium meum &c. Et hoc est fideicommissum, seu universale, quod consistit in hereditate, aut parte hereditatis restituendâ alteri per heredem; seu particulari fidei commissum, quod consistit non in universitate bonorum, sive hereditate totâ, aut partiali, sed in re particulari unâ, vel pluribus, quas hæres, aut legatarius jussus est alteri dare. Denique alia verba communia sunt, quæ tam directam, quàm indirectam, seu fideicommissariam institutionem significare possunt, cujusmodi est ipsum verbum, *relinquo*, item verbum *substituo*, cum indifferens sit ad substitutionem directam, & substitutionem indirectam, sicuti explicavi *lib. 3. tit. 5. c. 9. & 10.* Item si dicat testator, si hæres institutus moriatur, Cajo, seu in commodum Caij, verba ceteri debent communia, uti dicam *c. 1. hoc tit. in 6. Vide L. quoniam 15. C. de testamentis.*

Adverte secundò. Non ita ad verba, quibus testator usus fuit, directis, an obliquis, attendendum est, ut non præferenda sit respecta voluntas testatoris, quibuscunque verbis expressa sit. *L. quoniam.* Quare si dicat: mando, ut Titius hæres meus sit, directâ est institutio; item si dicat, relin-

quo omnia bona Titio, ut videre est *in hoc cap. & testatur Abb. n. 7.* quòd verbum *relinquo* adjectum universitati bonorum importat hæredis institutionem. Idemque sentiendum de verbo *lego*, ut si dicat, lego omnia bona mea Titio, censetur institutio hæredis, non legatum, teste *Abb. in c. Rainaldus n. 5. hoc tit. argum. ejus textus.*

Adverte tertio. Si Titius moriatur habens ascendentem v. g. matrem, & descendentes videlicet filios, aut nepotes, communi jure Casareo mater non est hæres necessariò, seu ab intestato, sed liberi. Verùm jure Longobardorum ascendenti debetur tertia hereditatis pars, sive triens. Quòd si Titius moriatur habens uxorem & liberos, uxori necessariò, & ab intestato nihil debetur, sed jure municipali quandoque debetur æqua pars cum filijs, jure Longobardorum debetur tertia pars, seu triens.

Adverte quarto. Substitutionis plures species sunt, uti dicam latius *in c. 1. hoc tit. in 6.* est enim substitutio alia vulgaris: instituo heredem Titium, si is hæres non erit, hæres sit Cajus. Alia est substitutio reciproca: instituo hæres Titium, & Cajum, & ipsos invicem substituo. Alia verò est substitutio compendiosa, videlicet: instituo filium heredem, si is deceaserit, aut quandounque deceaserit, substituo Cajum; si enim filius non aditam hereditatem deceaserit, erit substitutio vulgaris, seu, ut clariùs dicam, Cajus ex vulgari succedet. Sin autem idem filius post aditam hereditatem deceaserit impubes, succedet ex pupillari; si denique deceaserit post pubertatem, succedet Cajus ex substitutione obliquâ, seu fideicommissariâ.

Quintò. Si hæres per fideicommissum gravatus sit hereditatem alteri restituere, ne frustra hæres sit, partem quartam hereditatis, quæ Trebellianica dicitur, deducere potest. Quemadmodum & de legatis solvendis hæres deducere potest quartam partem, quæ Falcidia dicitur, si alioquin legata hereditatem ita exhaurirent, ut

quar-

quartam partem hereditatis non allequere-
tur. Quæ in his advertendis dixi, legi
possunt *Instituti de vulgari substitutione,*
& *tit. de pupillari substitutione. tit. de fi-*
deicommissarijs hereditarijs. tit. de Lege
Falcidia ff. de vulgari, & pupillari substitu-
tione. ff. & C. ad S. C. Trebellianum ff. &
C. ad legem Falcidiam. C. de impuberum, &
alijs substitutionibus.

3 Adverte sextò, Si hæres necessarius, si-
ve sit descendens, siue ascendens, gravatus
sit hereditatem restituere, ante omnia le-
gitimam partem, videlicet tertiam heredi-
tatis (imò verò semissem, si multi liberi
sint) inde deducere potest, quia legitima
hereditatis debetur sine ulla conditione,
onere, aut gravamine, ut hîc dicitur, &
in *L. quoniam 32. ff. de inofficioso testamen-*
to, & quidem jure, ac titulo institutionis
hereditariæ. Authent. ut cùm de appella-
ratione cognoscitur S. aliud quoque coll. 8.
Quòd si minus legitima portione relicta
sit filijs, non possunt testamentum impu-
gnare, sed debent agere ad supplementum
legitimæ *L. omnimodo. 30. C. de inofficioso*
testamento. Dixi de hac re lib. 3. tra. 5.
c. 5. n. 9. Videri etiam potest c. 9. ejus-
dem tractatus.

4 Adverte septimò, Si filius gravatus sit hæ-
reditatem restituere sub conditione, vide-
licet si sine liberis decesserit, tum non
tantùm legitimam subducere potest, sed
etiam Trebellianicam. Ita hic & infra in
c. Raynaldus. & docui cit. c. 9. n. 2.

Adverte ult. Licet ordinariè loquendo,
si testator rem certam, v. g. domum relin-
quat, censeatur esse legatum præstandum
ab hærede: excipi tamen debet, nisi sit hæ-
res necessarius, cui res certa relinquatur,
tunc enim, ne testamentum corrumpat, di-
cendum, rem eam, non ut legatum, sed
tanquam partem hereditatis, jure institu-
tionis relictam esse, uti colligitur ex hoc
c. & c. 1. eodem tit. in 6. & esse communem
sententiam testatur Gl. Marginalis in Au-
thent. novissimâ Lege V. titulo C. de inof-
ficioso testamento, & Authent. ut cùm de

appellatione c. 5. coll. 2. junctâ Gl. mar-
ginali.

CAPITULUM XVII.

Tua.

PARAPHRASIS.

Intellexit Gregorius IX, quòd aliqui
Religiosi, tum Clerici sæculares, tum
Laici pecunias, & alia bona, quæ ab ip-
sîs secundùm ultimas defunctorum vo-
luntates, ad pios usus expendi debent,
alijs usibus applicent; cùm autem
omnibus pijs testamentis, seu ultimis vo-
luntatibus per locorum Episcopos pro-
videndum sit, ut secundùm defunctorum
voluntatem omnia peragantur, quo-
obstante, quòd testatores voluntatem
inhibuerint Episcopis, idèò mandavit
Episcopo, ut dictos executores præ-
monitione compellat ad bona relicta ad
dictos pios usus expendenda.

SUMMARIUM.

1. Hæres, vel executor testamenti cura relicta ad piam causam, si certa hæres sint, non potest voluntatem defuncti mutare.
2. Potest Episcopus compellere executores ad exequendam ultimam defuncti voluntatem.

Notandum primum, Hæres vel executor testamenti relicta ad certam causam non potest ad aliam, quamvis modicam aut magis pium usum applicare, cùm ultima defuncti voluntas, dummodo possibilis sit, & non inhonestas, omnino servari debeat. Ita sumitur ex hoc *c. de tradit ex communi Mol. disp. 249. n. 1. & 5. Abb. hic n. 4.* ubi ait, quòd nec Episcopus ultimas voluntates, & fundationes mutare possit, cùm id Principi reservatum sit. *Clemen. quia contingit, de Religiosis dum- bus L. legatum 4. ff. de administratone rerum & c.* Quamvis aliqui Episcopo heredi-

niam commutandi tribuant apud Sylv. V. legatum 4. q. 12. & dixi de hoc lib. 4. tra. 2. c. 13. n. 14.

Notandum secundum. Episcopus compellere debet executores testamentorum ad exequendas ultimas pias voluntates. Ita etiam habetur in c. 3. & c. 6. hoc tit. Putat verò Gl. hic v. p. i. s., quòd in causis profanis Episcopus se immiscere non possit, si testator Laicus sit; sed contrarium docet Gl. in cit. c. 6. V. ab Episcopo, quæ magis communiter recepta est à Doctoribus (quamvis non ubique in praxi servetur) tamen publicatio testamenti, si testator Laicus sit, ad iudicem tantum sæcularem pertineat, tamen compulsionem ad exequendum circa pia, & profana relicta esse mixti fori, & dari locum præventioni, eò quòd defunctus, cum pro se agere non possit, inter miserabiles personas numeretur, quantum causa ad iudicem etiam Ecclesiasticum spectat.

His adde primò. Quòd Episcopus curare etiam debet, ut, quæ ad pias causas inter vivos donata sunt, executioni mandentur, juxta Trident. sess. 22. c. 8. de reformatione, ubi additur, quòd Episcopi jus habent visitandi hospitalia, & confraternitates omnes pias, & consequenter exigendi rationem administrationis.

Adde secundò. Si commutationes ultimatum voluntatum fiant à Sede Apostolica, quòd Episcopi tanquam delegati ejusdem Sedis cognoscere debeant, in impetratione nihil subreptionis contigisse, priusquam commutationes executioni mandent, Trident. sess. eadem c. 6. reformationis.

Adde tertio. Si dispositio pia defuncti executioni non mandetur, quilibet è populo querelam deferre potest ad Ecclesiæ Prælatum, vel iudicem loci sæcularem, si executor Laicus sit. L. nulli 29. in fine. C. de Episcopis.

Notandum tertium. Etsi testator prohibeat, ne hæredem, aut executores negligenter Episcopus compellat, nihilominus tamen compellere potest, quia persona pri-

vata non potest tollere, aut impedire juris publici dispositionem, uti supra dixi c. requisisti 15. not. 4. hoc tit. Sin autem prohibeat, ne Episcopus se immisceat exequendo, tum refert, num testator alium in casu negligentia substituerit executores, & valet dispositio, seu prohibitio; an nullum substituerit, tunc pro non adjecta habetur, teste Abb. hic. n. 6. Mol. disp. 251. n. 9.

CAPITULUM XVIII.
Rainaldus.

PARAPHRASIS.

Pepo Filium Rainaldum hæredem instituit, ita ut si absque liberis masculis decederet, patris suis hæreditatem restitueret; mortuo Pepone inter Rainaldum, & patruos super bonis hæreditatis controversia mota est, in qua ipsi in tres arbitros compromiserunt, sed uno mortuo duo alij (quia ex forma compromissi poterant) procedentes arbitrati sunt, sed perpetram, & imperitè, uti ex textu apparet. Porro Rainaldus prole destitutus testamentum fecit, in quo medietatem partem sibi ex bonis paternis competentis legavit avunculis suis, aliam medietatem uni patruo (alij patruj fortè mortui fuerunt) & filijs ejus reliquit, eo adjecto, ut si patruus, & filij impedirent legatum avunculorum, bona, in quibus sibi hæredes essent, ad eosdem avunculos secundum ratas portiones devolverentur. Post mortem Rainaldi, cum patruus hæreditatem adijisset, contra eum, & filios ejus, avunculi coram iudice litem moverunt, petentes legatum suum: sin autem patruus, & filij illud detinerent & dare nollent, tunc restitui sibi volebant, quæcunque ex testamento Rainaldi ad illos pervenerunt, aut pervenire potuerunt: Iudex tamen absolvit patruum, & filios à dando legatum (secutus videlicet imperitorum arbitrorum pronuntiatum) & nihilominus illos condemnavit,

T t vit,

vit, ad bonorum aliorum restitutionem, secundum formam testamenti. Ab hac sententia pars utraque appellavit ad Papam, petens, ut, quatenus contra se lata sit, sententia, infirmaretur, & quatenus pro se lata, executioni mandaretur; Causam proinde commisit Papa Gregorius IX. Cardinali; is consideravit, quod Rainaldo ex bonis patris tertiam partem, jure naturæ, debita fuerit, in qua gravari non potuit; insuper, quod ex reliqua, seu restate hereditate, quartam Trebellianicam, sicuti quilibet alius restituere gravatus, deducere potuerit, consequenter, quod ex ijs partibus, quæ simul faciunt semissem hereditatis, avunculis suis validè potuerit legare. Eapropter Cardinalis pronuntiavit, judicem in eo, quod patruum confidentem se medietatem legati avunculorum possidere, absolvit, perperam judicasse; in reliquo autem ejusdem judicis sententiam confirmavit. Porro in eo, quod idem iudex patruum, & filios totaliter in ijs, quæ in secundo articulo, videlicet circa pœnam, à testatore appositam, petita fuerunt, condemnavit, malè eum pronuntiassè decrevit, quandoquidem filij nihil contra defunctum commiserunt, quia nihil ex ijs, quæ patuntur, possederunt, sed quoad portionem, quam patruus habuit, confirmavit ejusdem judicis sententiam. Eundem patruum, & filios ejus in residuo absolvens, salvo nihilominus manente ipsi patruo beneficio Legis Falcidiae, circa restitutionem partis legati à se detentæ, & possessæ, dummodo intra tempus legitimum paruerit, restituendo legatum, eò quod inventarium confecerit, atque etiam contra voluntatem testatoris lex Falcidia locum habeat.

SUMMARIUM.

1. Hæres, si inventarium conficiat, quando detrahatur Falcidia?

2. Etiam ex donationibus mortis causa factis?

Notandum primum. Testator hæres non necessario pœnam privationis imponere potest, nisi legata, & alia iustitia exequatur, atque insuper disponere, ut quem commoda, quæ hæredi (aut alteri executori) propter negligentiam tolluntur pervenire debeant.

Notandum secundum. Hæres si inventarium conficit, saltem quartam partem hereditariæ suæ portionis retinere debet, ut ea legatis exhaustis non possit, sed de eodem quadrantem ex ijs deducendi potest. *tit. ff. & C. ad legem Falcidiam institutis de Lege Falcidia.*

Excipitur primò. Nisi testator probaverit, ne Falcidia detrahatur. *Authent. cum C. eodem.* Idemque patet de Trebellianica sentiendum, uti dicitur in *1. eodem in 6.* Neque obstat, quod dicitur deductioni Falcidiae locum esse esse contra testatoris voluntatem, respondetur enim ex *L. Titia 86. ff. de leg. 1. Falcidiam*, Falcidiam non ex voluntate defuncti, sed potius contra eam, et legatariæ dispositione introductam esse, quæ admodum testator significat, legatario mandandum esse, prout maxime apparet in *usu nostri cap. 7. quacunq; occasione testamenti* &c. nihilominus verò ex vi Legatariæ ductio fit, nisi testator expressè prohiberit. Excipitur secundò. Quod in Legatariæ Falcidiae locus non est, *Authent. cum C. ad Legem Falcidiam*, & idem de Trebellianica sentiendum esse, est communior illius sententia apud *Covar. hic §. 3. n. 7.* Excipitur tertio. Si alicui res legata sit commissa, ut non alienetur, sed maneat apud hæres, Falcidia deducti non potest. *Authent. sed & in ea C. eodem.* Idem quoque de Trebellianica dicendum, cum in *usu* equiparetur, uti videre est apud *Molin. 2. disp. 187. n. 28.* Excipitur quarto. Si hæres à iudice admonitus per annum ius testatoris non exequatur, amittit jus Falcidiae. *Authent. de hæredibus, & Falcidia.*

his igitur. & sequentibus. Plura vide apud Molin. cit. loc.

Duo adde, primum. Non tantum ex Legatis, sed etiam donationibus mortis causa factis Falcidiam deduci posse. L. si mortis s. & L. penult. C. eodem L. 2. ff. de mortis causa donationibus.

Alterum. Modus detrahendi Falcidiam traditur in S. quantitas S. cum autem Inst. de L. Falcidia, & L. in imponenda 6. C. eodem, hereditatis, ac patri monij defuncti quantitatem considerandam esse secundum tempus mortis, ita, ut siue aucta sint bona, jacente hereditate, siue diminuta, nihil id proffit, aut obfit heredi; postea deducitur ad alienum defuncti, cum neque legata debeantur, nisi ante alieno deducto L. successores C. eodem. Deinde deducuntur funeris impendia cit. S. cum autem & quidquid heres ratione testamenti, videlicet in eius insinuatione, conficiendo inventario &c. expendere debuit, L. ult. §. in compensatione C. de jure deliberandi. His omnibus deductis heres, si hereditatem adijt, inventarium confecit, & legata solvere paratus est, quartam partem seu totius hereditatis, si unicus, seu ex alie heres est, seu portio nis, in qua institutus est, habere debet.

CAPITULUM XIX.

Joannes.

PARAPHRASIS.

Clericus O. de bonis suis per ultimam voluntatem quaedam legavit ad pia loca, executores constituens Joannem Clericum, & P. Laicum, quibus etiam mandavit, ut creditoribus suis satisfacerent; capropter Gregorius IX. ait, hos executores, cum mandatum susceperint, cogi debere ad exequendum.

SUMMARIUM.

1. Episcopus etiam Laicum executores compellere potest ad executionem piam voluntatum.

2. Nemo quidem cogi potest ad manus executoris testamentarij suscipiendum, compelli tamen ad executionem potest, si munus hoc in se susceperit.

Notandum primum. Ad executionem piam voluntatum Episcopus etiam Laicum executores compellere potest. Addit verò Abb. n. 2. id locum etiam habere in causa non pia, saltem si testator Clericus sit, & ideo insinuatio testamenti coram Judice Ecclesiastico fiat, prout satis colligitur ex c. isto.

Notandum secundum. Munus executoris testamentarij nemo cogitur suscipere, sed postquam susceperit, jussa defuncti implere debet. Ita etiam docui lib. 3. tra. 5. c. 11. n. 2. Sufficit autem acceptatio tacita, quæ ex facto cognosci possit, ut si litteras scienter accepisti, in quibus officium executoris tibi demandatum, nec contra protestatus es, argum. Clement. 1. de procuratoribus, & tradit Bartolus in L. C. Titius. ff. de constituta pecunia, quod in ijs, quæ per epistolam inter absentes geri, & obligatio contrahi potest, qui scienter suscipit litteras offerentes obligationem, & non contradicit, v. g. coram testibus, consentire censetur.

Deinde bene admonet hic Abb. n. 3. quod Superior ad quem cura ista pertinet, videlicet Episcopus in legatis pijs, vel etiam non pijs, si testator Clericus sit, possit aliquem sibi subditum, si ita opus sit, compellere, saltem ut delegatum sive commissarium suum, ad exequendum. argum. c. pastoralis 28. de officio delegati. & L. 1. C. qui pro sua jurisdictione, &c.

Ad extremum adverte, quod executor testamentarius rationem acceptorum, & expensorum Superiori reddere teneatur, prout monuit Archidiaconus in c. Episcopus. distinct. 80. atque conveniens fore, ut heres, & legatarij interfint, quia ipsorum interest.

* *

T 2

CAPIT

De his.

PARAPHRASIS.

Ex Legatis pro Ecclesiarum ornamentis, fabrica, luminaribus, vel pro anniversario, vigesimo septimo die, aliisque pertinentibus ad cultum divinum, canonica portio (nisi in fraudem ita legetur, ut Episcopus, vel Parochia defraudetur) deduci non debet.

Notandum. Ex ijs Legatis pijs, quæ hîc numerantur, non solvitur portio Canonica Episcopo, aut Ecclesiæ parochiali. Excipe, nisi in fraudem ita concipiantur legata, quasi sint pro fabrica, pro luminaribus &c. cum tamen testatoris voluntas sit, ut Ecclesiæ absolutè proveniant. Vide, quæ dixi in c. officij 13. hoc. tit.

CAPITULUM I.

in Sexto.

Si Pater.

PARAPHRASIS.

Titius habens filium, & filiam impuberes. Filiam instituit in re certa, & filium in reliquis bonis hæredem fecit, uxori aliqua legavit; adjecit porro, si filia absque liberis decederet, ut filio; sin autem filius priùs sine liberis decederet, ut filia; moreretur; denique pauperes hæredes instituens, si utrumque sine liberis mori contingat. Evenit postea, ut post mortem testatoris tum filius, tum filia absque prole morerentur, cum itaque vi testamenti paterni hæreditas pauperibus restituenda esset, mater partem legitimam, & Trebellianicam deducere voluit; sed Bonifacius VIII. his non deductis, bona omnia pauperibus debere respondit, propterea quòd substitutiones filio ad filiam, & filia ad filium, & ab his ad pauperes fuerint pupillares, dire-

cta, non obliqua, quia in substitutionibus (si verbis ac personis convenire possit, ut in nostro casu) semper interpretatio facienda est, potius, ut dicitur, recta, quam ut obliqua, tamen interdum substitutio directa ad fideicommissariam, seu obliquam ex causa tractatur; neque verò mirum est, mater à portione legitima excludi, quia ipse filius, aut filia non possit in hoc testamento matrem legitimam portionem habere, pater tamen in testamento, quod filio, aut filia impuberi facit, mater omninò excludere non prohibetur, ita istud testamentum pupillare patris testamenti pars quaedam esse censetur.

SUMMARIUM.

1. Si hæredi necessario res certa relicta sit, censetur in ea institutus hæres.
2. Verba communia in testamento substitutionem, an substitutionem significent, ex varijs conjecturis determinantur.
3. Num substitutus hæreditatem accipiat, si pater filio impuberi instituit, & hic post pubertatem accipere moriatur?
4. Utrum Trebellianica de dote pupillæ hæreditate restituenda pia causa?

Notandum primum. Si hæredi necessario res certa relicta sit, censetur in ea institutus. Ita sumitur ex hoc c. dixi de hoc in c. Raynuitius.

Notandum secundum. Verba ista libera, institutus, moriatur Titio, vel moriatur pauperibus, communia substitutionum verba sunt, ita, ut quantum est ex verborum, tum directam, tum obliquam significare possint substitutionem. Ita sumitur ex hoc c. & notat hic Francus n. 19. de disp. 155. n. 8.

Notandum tertium. Verba communia (si materia, & personæ subditæ patentes, nec aliundè ostendi possit aliam fuisse testatoris mentem) potius intelligi debent, ut directam, quam ut obliquam substitutionem.

tionem significant. Ita indicatur in hoc c. & notavit Molin. disp. 182. n. 17. Ratio est, quia directa substitutio, per quam hæreditas sine alterius interventu a testatore ipso capitur, est magis naturalis, simplex, honorata, liberalis.

Pro majori intellectu horum suppono primò. Quòd pater filio impuberi, quem in potestate habet, substituere possit directè, quæ dici solet substitutio pupillaris simpliciter, si filius meus in impubertate decesserit, hæres esto Cajus *Instit. de pupillari substitutione*, ubi dicitur: Si filius hæreditatem patris adierit, & ante pubertatem mortuus sit, Cajum hæredem fore tum patris, tum filij, adeoque omnium bonorum à filio relictorum undequaque provenientium, atque in hac ipsa substitutione pupillari tacitè continetur vulgaris, ita, ut si filius hæreditatem non adeat, quia prius moritur, substitutus testatori succedat, nisi de contraria ejus voluntate appareat *L. 4. ff. de vulgari, & pupillari substitutione*. Sed & vice versa sub vulgari substitutione facta filio impuberi continetur tacita pupillaris, ita, ut tamen filius hæres sit, tamen intra annos impubertatis moriatur, succedat substitutus, videlicet, si dixerit testator, si filius hæres non erit, Cajus hæres esto *cit. L. quarta & L. quamvis 4. Cod. de impuberum, & alijs substitutionibus* & videri potest *Covar. in c. Raynarius §. 4. & 5.*

Excipitur tamen mater, cujus respectu tacita pupillaris subintellesta in vulgari effectum non habet, videlicet ad eam excludendam, *L. precibus C. dicto tit.* præterquam, si substitutus sit filius testatoris, seu frater instituti filij, secundum *Bartolum in L. 2. n. 44. ff. de vulgari & pupillari substitutione*.

Suppono secundò. Quòd pater filio impuberi etiam obliquè seu fideicommissariè substituere possit, si filius ante annos pubertatis moriatur, hæreditatem det *Cajo L. cohæredi 41. §. cum filia ff. dicto tit.* ubi additur primò. In hoc casu Falcidiam (intel-

doque usurpantur) detrahi posse. Additur secundò. In hoc casu restituenda esse tantum bona hæreditatis paternæ, non item bona, quæ filio aliunde provenerunt, hæc enim non ad substitutum, sed ad proximum consanguineum tanquam hæredem ab intestato v. g. matre proveniunt.

Ex his itaque sumpta est principalis decisio Capituli, cum verba, quibus pater usus est, communia sint, & intelligi possint de substitutione pupillari directà, ideò sic accipienda esse, ut proinde mater jus Trebellianicæ non habeat, sed neque legitimam deducere possit, cum non filij, sed patris (cujus respectu mater necessariò hæres non est) testamentum, & hæreditas esse censetur.

Id in controversia est, si pater filio impuberi substituerit, is autem post pubertatem mortuus sit, num substitutus saltem obliquè hæreditatem consequatur.

Respondeo, & dico primò. Si pater filio impuberi verbis directis substituit, non trahuntur ea ad fideicommissum, ideò si filius pubes factus decedat, excluditur substitutus *L. verbis 7. L. centurio 15. ubi Bartolus n. 3. ff. de vulgari & c.* cum enim verba directà, & verba obliqua seu fideicommissaria, oppositas habeant significationes, ideò non convenit verba directà ita intelligere, ut obliquam contineant substitutionem.

Excipe primò. Nisi necessitas cogat, quia alioquin corrueret substitutio, *L. Scavola 76. ff. ad Trebellianum*, ubi substitutio facta verbis directis in codicillo (in quo hæreditas directè dari nequit) trahitur ad fideicommissariam, ut valeat tanquam fideicommissum, & hæres, v. g. mater impubertatis, gravata censetur. Vide *Bartolum in L. cit. verbis n. 4.*

Excipe secundò. Quòd militi privilegium hoc datum sit, ut tamen verbis directis substituerit filio, exempli causa, si filius hæres meus impubes intra 25. annos ætatis moriatur, sit hæres Cajus, ita intelligenda sit substitutio, ut etiam post pubertatem

tatem ipsi substituere voluerit non quidem directè (quod impossibile est, cum ipsemet tunc filius faciendi testamenti capax sit) sed fideicommissariè, *cit. L. centurio & docet Gl. in cit. L. Scavola, obligetur.*

Excipe tertio. Et si testator utatur verbis directis, hæres esto substitutus, si tamen ex adjunctis colligatur, habuisse eum animum filio impuberi substituendi etiam post pubertatem, adeoque fideicommissariè, præferenda est mens testatoris v. g. instituo filium impuberem hæredem, & quando-cunque is decesserit, hæres esto Cajus, cense-ri hæc debet substitutio compendiosa: de qua supra aliquid dixi, quæ doctrina sumitur ex *c. Raynuius* & tradit *Gl. ibi v. vel in-stitutionis. Abb. n. 17. ibidem & ex cit. L. Scavola, & cit. L. precibus junctâ Gl. quamvis multi Legistæ, quos sequitur Covarruvias in cit. c. Raynuius §. 9. n. 15. & alij Canonista apud Anchoranum hic contrarium te-neant, videlicet evanescere substitutionem, adveniente tempore pubertatis, & ad *cit. Leges* respondent, speciale id esse in milite. Sed melius est, ut dicamus, privilegium militis in hoc tantum consistere, quòd tamen-etsi constet, eum voluisse directè substituere filio, postquam pubes factus est, seu quia, ob juris imperitiam, nescivit id fieri posse, arbitratus videlicet omnes minores, videlicet usque ad annum ætatis 25. testa-menta facere non posse, sive quia arbitratus est, filios centeri impuberes usque ad dictam ætatem, talem substitutionem post adeptam pubertatem valere, eo modo, quo potest, videl. ut fideicommissariam speciali militis favore, cui juris ignorantia ignoscitur: at verò in alio testatore hæc locum non ha-bent, si constet, quòd directè voluerit sub-stituere, sed tantum eo in casu, si directis quidem verbis usus sit, ea verò benignius ac-cipi possint, & impropriari, ut mens & vo-luntas testatoris, ipsiusque testamentum conservetur *L. 2. communia de legatis.**

Dico secundo. Si testator verbis commu-nibus usus sit in substitutione facta impu-beri, neque eam restrinxerit ad annos pu-

pillares, tum extendi debet ad annos pu- bertatis ita, ut si post pubertatem decesserit substitutus succedat, tanquam ex fideicom- missio, ut si dicat: quando-cunque filius meus, qui jam impubes est, decesserit, in- stituo Cajum: nam hæc est compendiosa substitutio, quæ secundum omnes Doctores comprehendit in se fideicommissariè, uti dixi *lib. 3. tra. 5. c. 9.* Verum opus non est videtur voculâ *quando-cunque*: sicut in indefinitè testator substituerit per verbum commune: instituo filium meum, si de- cesserit, substituto Cajum, ubi dicitur *Ita ex c. Raynuius* sumitur, ubi dicitur *Abb. n. 6. Covar. n. 16. Joann. Anthoni n. 19. cum Gl. v. absque deducione*, contra plerosque Legistas, Ratio est, quia locum indefinita, & indeterminata æquivalere ver- sâli, ut idem sit dicere: si filius decesserit (videlicet sine liberis) ac discrete *quando-cunque decesserit*, utraque ergo est com- pendiosa, plura in se tempora comprehen- dens, & sumitur ex *L. quidam 6. L. quæ- siens 12. ff. de rebus dubijs.*

Quæstio est tractanda, utrum ex fidei- commissio facto ad causas pias v. g. pios ho- minibus, hæreditatem restituendo, Trebellianica deduci possit? Affirmat hic *Gl. v. Trebel- lianica & alij apud Dominicum hic argu- buntur cap. quando Pontifex ait, Trebelli- anicam à matre deduci non posse, si filius ante pubertatem mortuus sit, quia ex dicta substitutione hæreditas pauperibus detra- hitur: ergò per sensum contrarium, si ex fidei- commissio deberetur, Trebellianica deduci posset; deinde ex legatis pijs detrahi non potest, ut expresse est in *L. 1. §. ad mancipium ff. de Legem Falcidiam*, ergò etiam Trebellianica detrahitur, cum ea defalcationes in partem æquiparentur. Contra tamen sententia est fermè communis teste *Abb. in c. Raynaldus. n. 8. Covar. ibidem §. 3. n. 7. Cuius lib. 2. observ. 119 n. 7.* Probatur: si ex relietis pijs Falcidia detrahi non potest, nec Trebellianica deducitur; sed verum est con- tecedens, ergò & consequens. Probatur sequela majoris, quia Trebellianica ad fidei-*

itudinem Falcidia introducta eidem æquiparatur, adeò, ut hæc ipsa deductio Trebellianicæ sæpe in jure Falcidia appelletur *L. pater 14. L. Titia 86. ff. ad Legem Falcidiam*. Notum autem est, quando duo in jure ob identitatem rationis æquiparata sunt, quod statutum de uno, etiam de altero statutum censei debet *argum. L. si quis seruo C. de furtis*. ubi Gl. marginalis nova ait: ubi eadem est æquitas, idem est jus; & docui *lib. 1. tra. 4. c. 18. n. 10*. Minor propositio, quòd Falcidia à pijs legatis detrahi non possit, adeò recepta est, ex *authent. de Ecclesiasticis titulis. §. si autem heres*, ut in cod. cem Justinianeum *tit. ad Legem Falcidiam* discretis verbis inserta fuerit. Accedit, quòd hæc tenus in tribunalibus ita judicatum fuerit, ac proinde Ecclesijs jus acquisitionum etiam per temporis antiquitatem, si quilibet ostendere conetur alium fuisse *cit. §. si autem heres* intellectum, de quo *Andreas Fachineus lib. 5. controversiarum c. 27*. quare locum hic habet, quod dicitur in *L. 23. ff. de L. L. minime sunt mutanda, quæ interpretatione certam semper habuerunt*.

Deinde ita argumentor: quæ circa ultimas voluntates præter jus naturale, aut gentium civili jure introducta sunt, ea circa relicta pia cum præjudicio Ecclesiæ non valent. *c. cum esset 10. hoc tit.* atqui Falcidia & Trebellianica civili lege præter jus naturale, ac gentium constituta sunt, ergo &c. Probat minor ex eo, quia secundum jus naturale, ac gentium, quàm maximè attendi debet ad testatoris voluntatem, si ea honestè impleri possit *cit. c. cum esset*. Falcidia præter voluntatem testatoris introductam esse, per se patet, & colligitur ex *c. Raynaldus junctâ Gl. contra voluntatem*, nam testator v. g. jubet mille aureos, aut totam hæreditatem dari Titio, ideò si hæres non totum det, sed partem deducat, id non agit secundum testatoris voluntatem. Ad primum argumentum Resp. locum non esse argumento per sensum contrarium, quia ea non erat decisio Papæ, sed allegatio mulieris, quæ ita petitionem formabat: si

heres per fideicommissum hæreditatem restituere debeat pauperibus, Trebellianicam deducere potest, sed filius meus hæreditatem per fideicommissum pauperibus restituere jussus fuit, ergo &c. Ad hoc Pontifex majorem, seu principium non examinans, cum ea res majorem indaginem requireret, facillè se expediendo respondet, falsam esse assumptionem, seu speciem facti, cum fideicommissum, seu substitutio obliqua non fuerit, sed directa.

Ad secundum Resp. cum *Glossis & DD. in cit. §. si autem heres & in authent. similiter C. ad legem Falcidiam* jus illud antiquum à Justiniano immutatum esse.

Notandum quartum. Pater filio impuberi pupillariter substituere potest verbis directis, ita ut mater ejus penitus excludatur, Ita habetur in *fine c. & explicavi lib. 3. tra. 5. c. 9. in fine n. 1.*

CAPITULUM II. Religiosus.

PARAPHRASIS.

Si Religiosus ab aliquo in voluntate ultima executor deputatus sit, non potest is, cum velle, & nolle non habeat, illud suscipere, aut exequi, nisi à Superiore suo licentiam petiverit, & obtinuerit. De hæc *regi lib. 3. tra. 5. c. 11. q. 2.*

SUMMARIUM.

1. *Quis hic intelligatur nomine Superioris?*
2. *Non transit ad heredem officium testamentarij executoris.*
3. *Si tamen nomine dignitatis demandata sit executio, nisi ex verbis colligatur aliud, ordinariè ad successorem in dignitate transit.*
4. *Ex pluribus deputatis in testamento executoribus, si unus non velit, vel non possit, utrum alij ad executionem procedere possint?*

Quæres. Quis intelligatur nomine Superioris? Resp. in Religionibus exemptis intelligitur Prælatus Ordinis, in non

exemptis non tantum Prælati, sed etiam Episcopus, præsertim in defectu, ut si Sedes vacet, sicuti *Archidiaconus*, *Ioannes de Lignano*, & alij docent apud *Francum hic n. 6.*

§.

Sanè.

Si pluribus à testatore simpliciter deputatis executoribus, unus mortuus sit, vel in remota regione degens exequi nolit, ne testatoris voluntatem diu impediri, aut differri contingat, potest alter deputatus liberè exequi, nisi testator aliud expresserit.

- 1 Notandum primum. Officium executoris testamentarij non transit ad hæredem, quia censetur electa industria personæ *argum. c. ult. §. is autem de officio delegati* & tradit *Gl. recepta hic v. mortuo. Gl. marginalis in L. tutela 15. ff. de tutel.*
- 2 Queritur, si executio demandata sit alicui nemine dignitatis, apposito v. g. Abbati S. Vincentij, vel Reçtori Hospitalis, num transeat ad successorem in dignitate vel officio. Affirmat *Gl. à plerisque recepta hic v. expresserit.* Præterquam si ex circumstantijs colligi possit, contemplatione personæ demandatum fuisse, ut quia testator propinquus fuit Abbatis, aut Reçtoris *argum. c. requisit 15. extra hoc tit.*
- 3 Contrà obijci potest, licet hæc distinctio, num sub nomine dignitatis, aut proprio, facta sit commissio, locum habere possit in jurisdictione delegati *c. quoniam 43. de officio delegati*, tamen aliud videtur dicendum de nudo ministerio, & executione mandatâ, cum in ea personæ industria specialiter censetur electa *argum. cit. c. ultimi, & L. mandatum 57. ff. mandati.* Quâ ratione Bartolus concludit, quod commissum factum in Abbatem S. Proculi, eo mortuo non transit in successorem. Verum eo non obstante defenditur sententia *Glossa*, quæ & in praxi recepta videtur, idque propter ultimæ voluntatis favorem, ne ejus executio

diu differatur, sicuti ex hoc *c. colligitur*, & bene monuit *Francus n. 8.* Quare idem *art. n. 3.* quod jura prohibent, quantum potest, ne defunctorum voluntates impendantur *c. nos quidem 3. c. si hæres de hoc tit.*

Notandum secundum. Si unus ex pluribus deputatis executoribus non possit aut nolit exequi, alius liberè potest ad executionem, nisi testator aliter disposuerit, sed quid si quinque v. g. sint deputati, & alij omnes nolit, aut non possint exequi, potestne unus solus facere executionem. De hac re disputant *Dominicus hic c. ult. penult. Anchoran. q. 4.* Mihi placet, ut affirmemus cum *Francis n. 5.* quia tenent definitè loquitur, si plures sint constituti executores &c. idque ob rationem, quæ generalis est, ne voluntas testatoris impediatur, aut diu differatur.

Coroll. Dummodo unus executor nolit, ac possit exequi voluntatem, etiam alij nolit, vel impediti sint, Episcopus se immiscere non potest, vel executori locum dare, teste *Ioanne Andrea hic n. 3. Baldus L. nulli in fine C. de Episcopis*, ubi ad hanc doctrinam, quod unus executor nolit, si alij alij exequi non possint, si ij adesse possint, locum non habere, si executio ratiota, & expedita sit v. g. Titio pauperi leg. 100. sin autem executio, aut modus sequendi incertus sit, tunc unus sine alio exequi non debet; quod si in hoc casu eadem sint, tum iudex, & quidem in relicto Episcopus, dirimet.

Eademque ratione ait *And. hic n. 6.* executio rei certæ, & in certo loco demandata sit, quod executor per alium tantum ministrum suum exequi possit *argum. c. cui 14. de officio delegati in 6.* alioquin verò executio per ipsum executores debet, propter electam industriam personæ *argum. c. tua 17. v. per manus hær. cit. L. nulli v. pro sua conscientia.*

